

AD LECTOREM OPERIS HUIJUS  
HISTORICI.

**P**Lenus ades rerum, gentis sua facta Bohœmæ  
Fastidis, nihil hîc, lector, inesse putas.  
Deciperis, credas: quandoque saturrimus escas  
Chari dum libat, mandit amore sui.  
Historiam hanc liba, quantum vel opinio fallat  
Si nescis, disces hæc relegendo famens.  
Si terram terris confers & quæque quibusvis:  
Aut similis, si non Bœmia major erit.  
Quis fit honos dulcis Patriæ, quæ gloria rerum  
Si cano Bœmus ego, materia exuperat.  
Verum hoc, lector, opus libando perlege sensim  
Si sapiet, rectè est: sin minus, æger abi.

*J. à Braitenberg Præp. Prag.*

IN HISTORIÆ BOHEMICÆ AB HAGECO SACER-  
DOTE PATRIA SCRIPTÆ, ET SANDELIO GERMANICA  
LINGUA TRANSLATÆ, COMMEN-  
DATIONEM.

**S**I quid temporibus nostris, tantisque ruinis  
Et longis tenebris potuit Respublica tota  
Christiadum expetere, ut gestas res nosceret omnes,  
Disceret & gentes simul arma virumque Bohæmum,  
Hactenus ignotum, & tellus quæ nobilis illa  
In se contineat longè, Sandelius unus  
Insigni libro præstat magnoque labore.  
Historie varia, tum docta volumina passim  
Obvia, vel patriæ quia scripserit incola terra,  
Aut regionis amans, aut quid mirabile vidit,  
Aut benefacta colit, vel querit habere favorem,  
Sive audita refert, vel colligit optima quævis,  
Sique quid est aliud, cur quis monumenta coronet  
Talia, cuncta simul præstat Sandelius idem.  
Insignem ante alios HAIECUS is ipse laborem  
Sustinuit, magnumque suis lectoribus usum  
Præbuit, & Patriæ laudes, & fortia facta.  
At quis difficilem scitu, linguamque paternam  
Longè aliam à nostra, capiet, leget, observabit,  
Magna licet, præclara licet, liber offerat ille?  
Velamen nobis aperit SANDELIUS idem.  
Hic primos ortus prima incunabula Regni,

*Sylvestresque homines Czechi à Ducis ore jubentis  
 Dependere, locis sua fundamenta locare  
 Post Idola DEO servire altaria circum  
 Ponere, bella Ducum gentisque insignia facta,  
 Et miracula DEI, data plurima commoda terra  
 Aspicias, miror si non mirabere lector.  
 Hac ego qui quondam chara Regionis alumnus  
 Gratus & usque memor laudum quoque præco suarum  
 Præcinui, voto tu lector amice sequere.  
 Et Regi & Regno & bona quæque precare colonis.*

M. Valentinus Leuchtius à Falkenberg,  
 Prothonotarius Apostolicus, Francofurti  
 ad S. Bartholomæum Canonicus & Theo-  
 logus ordinarius, &c.

---

**IN CHRONICON HAGECIANUM  
 EX BOHEMICO IN GERMANICUM IDIOMA  
 CONVERSUM à JOHANNE SANDELIO.**

**A**neas tenuem congescit SYLVIUS olim  
 Bojemæ librum de gentis origine & actis,  
 Quanto vir potuit studio peregrinus, & harum  
 Non satis expertus rerum: nihilominus inde  
 Haud tenuem peperit sibi famam, nec breve nomen.  
 Illum *Dubravius* sequitur longo intervallo  
 Temporis Olmutii Præsul, textitque volumen  
 Conatu insigni, sed cui non ordinem inesse  
 Nec lucem dicas, consperso errore frequenti.  
 Hunc pariter sua laus mansit tamen hæcenus: At nunc  
 Ecce opus *Hagecii* præclarum prodit, & auras  
 Vitales carpit, *Sandelius* ore locutum  
 Bojemo quod Teutonicum convertit in usum.  
 Herclè opus egregium, magni longique laboris,  
 Quodque suis dulcem persæpè autoribus altâ  
 Eripuit requiem nocte, optatumque soporem.  
 Cedite vos alii: sicut splendore corusco  
 Exiguas passim stellas Phœbe aurea vincit,  
 Sic vos *Hagecius* solido & sermone fideli:  
 Multa equidem tanto debes *Boiemia* civi  
 Qui te, resque tuas per plurima sæcula gestas,  
 Ut fors cunque tulit varia ac mutabilis, unus  
 Continuâ serie descripsit, & ordine pulcro.  
 Quin prope Lethæo qui te sub flumine mersam  
 Eripuit tenebris, & luci reddidit almæ.  
 At tibi non tantum tua debet Natio multa

*Sandeli, sed multa simul Germania debet  
Participem reddis quam tanti muneris ultrò  
Sedulitate tua, precium non vile laborum  
Laturus, meriti si ullius gratia stabit.*

*Hieronymus Arconatus Leorinus, S. C. Mti.  
à Secretis bellicis Praga tumultuario studio  
scripsit 8. Junii 1596.*

IN HISTORIAM WENCESLAI HAGEK  
BOHEMICAM,  
à JOHANNE SANDELIO GERMANICE  
REDDITAM.

**Q**UAE prius adideras Gentis monumenta Bohæmæ,  
Author in Historia Svarvis HAGECE tua.  
Nunc ea Teutonico translata fideliter ore,  
SANDELIUS laudes jusfit habere suas.  
Digna quidem linguas, quæ versa legantur in omnes  
Atque Bohæmorum nomen ad astra vebant.  
Ardua facta decent volucris præconia fama,  
Virtutemque Comes gloria certa manet.  
Hos age translatos lector studiose labores,  
In tua jam facili commoda mente refer.  
Hinc poteris rerum varios ediscere casus.  
Hinc Virtutis opes, hinc fera bella virum.  
Quæ neque tempus edax, nec iners abolere Vetustas  
Sed neque longa dies subticuisse potest.

Johanes Stammius à Wlczinecz, Illustris. & Re-  
verendis. Principis D. D. Archiepiscopi  
Pragensis Secretarius.

*Pro Historia Bohemica Germanicè edita  
ab Iohann. Sandelio, &c.*

**P**RISCA BOHEMORUM multis incognita virtus  
Bellaque victrici plurima gesta manu,  
Teutonibus gentem invisam fecere colonis:  
Linguas hic nimirum moris & error erat.  
Eximit hunc scrupum vitioque medetur utrique  
SANDELIUS, versa Cziechiadum historia,  
Quæ scripta HAGECIO solis autore BOHEMIS  
TEVTONICO poterit nunc quoque in orbe legi.  
Utraque SANDELIO gens præmia debet, utramque  
Quòd propiore unit cognitione sui.

*Geor. Carolides à Carlsberga,  
11. Junii. an. 96. f.*

IN HISTORIAM BOHEMICAM HAGECII  
à JOANNE SANDELIO Germanicè  
versam.

**I**llustres Anima Regumque Ducumque, sepultas  
Quas tenuit cœcis longa dies tenebris,  
Quarum facta olim admirata Bobemica, quarum  
Nomina perpetuum, par fuit, esse super,  
Debent multa quidem (fateor) tibi, quòd tua luci,  
HAGECI, ereptas dextera restituat:  
Debet multa etiam tibi Patria, præter at illam  
Nulla alia, hoc solum lingua Bohêma facit.  
SANDELIO sed plura suo, qui singula passim  
Exempla, & gentis resque decusque tua  
Germano expresit tam bellè idiomate, ut illum,  
A vero vixdum Theutone nosse queas.  
Fallor? an & vestros luci asserit ille labores?  
Tuque tuum ex isto nomine nomen babes?  
O magnum verè Scriptorem vivere per quem  
Scriptores alios, & superesse datur.

Arnoldus Helius Medioburgensis Fland.

IN CHRONICON HAGECIANUM,

per  
JOHANNEM SANDELIUM  
Germanicè redditum.

**Q**uantis se attulerit Bojemica gloria rebus,  
Primaque quæ fuerit gens, quæ his confederit arvis,  
Quis status antiquo Regno, quæ tempora rerum,  
Qui Reges fuerint, si quis cognoscere gaudet,  
Hos legat annaleis, modo quos SANDELIUS ore  
Teutonico, summa cum dexteritate retexit,  
Vobis nempe studet prodesse nepotibus, ut sic  
Posteritas etiam veteris vestigia Regni,  
Quos tulerint Proavi pro Relligione tumultus,  
Fortiter acta simul Veterum, atque asperrima bella  
Noscat, quæis toto certatum est corpore Regni,  
(Horrendum, nec vana fides) quos funera fundi  
Viderit, ingentes & desolarier agros,  
Noster Avus, rursus & rebus succurrere fessis,  
SYLVIUS hæc primum cecinit Latio ore: Bohemo  
Post ea dixit HAGEK: eadem SANDELIUS offert  
Teutonico sermone, sui monumenta relinquens.  
Dignus laude vir est, feros quicumque nepotes  
Erudit Historiis: manet is celeberrimus: & non  
Illius ulla teret laudatum oblivio nomen.

Johannes Knöringer Cadanensis.

Dom